

## ORATIONES

EX C. TACITO COLLECTAE.

## I. ORATIO VIBULENI.

EX I. ANNAL. CAP. XXII.

ARGUMENTUM.

Ineunte Tiberii imperio, Pannonicus Romanorum exercitus gravissimos motus et seditiones concitavit. Tumultuose flagitabat miles missionem ad id tempus, quod multitudo definiret: stipendia vero liberaliora, et remissius in se jus centurionum. Pro se quisque tumultus augebat: sed praeter ceteros. Vibulenus, ex infima faece miles gregarius, seditiosas et falsas voces jactavit, quas in oratiunculam hanc conclusit Tacitus. Hic, ut ardentem jam imperatoris Blaesi invidiam etiam inflammaret, falsum crimen commentus, in eum debacchatus est, adstante militum furiosa multitudine. Caedem fratris sui, et fratrem ipsum e mentibus, in eum conjecit.

• Vos quidem, inquit, his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis: sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem, missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima jugulavit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat. Responde, Blaese, ubi cadaver abjeceris? ne hostes quidem sepulturae invident. Cum osculis, cum lacrimis dolorem meum implevero, me quoque trucidari jube; dum interfectos nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum consulebamus, hi sepeliant.

## II. ORATIO GERMANICI CAESARIS.

EX ANNAL. I. CAP. XLII.

ARGUMENTUM.

Praeerat Germanicus Caesar duobus exercitibus, qui in Germania propter Rhenum erant. Eorum inferior qui dicebatur,